



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Duæ interrogationes. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

§. 5. *Dua interrogationes.*

Sed iterum video aliud requirendum, secundum grossiorum intellectum, respicientem forinsecus atrium, quid in hoc voluit significare verbo, (*cellaria*) quasi multa essent, cum & vnum cellarium videatur sufficere: Quare etiã addidit (*sua*), quasi eius esset possessio, & non nostra, vt magis communis esset demonstratio? Intellige bonam rationem harum questionum. Quia nonnunquam infirmiores cum fortioribus, & ideo felicioribus in vna domo simul commorantur: sæpe debiles egent indulgentiùs ministrare sibi aliqua necessaria, quibus, saniores non indigent. Ne ergo possent quidã ex hac plenitudine misericordie scandalizari, dicere maluit sponsa benigna mater fortibus adolescentibus, pro excusatione debiliũ filiorum, se à rege clementissimo introductam in cellaria: quatenus visa copiosa benedictione, vnicique ex eisdem ministraret, quantũ opus esset ad nature congruentiã. Et bene satis subdidit (*sua*), vt vnusquisque seruorum Dei, videns se de cellario Christi participare bonam corpori necessariũ, sciat esse totum à Deo: nec hæc parua & vilia adiutoria, sine gratiarum actione autumet sibi concessa: immo cum supplici mente, pro his minimis vicẽ deuotæ confessionis Deo refundat: quem nulla creatura sufficienter, pro minimo quantulumcumque beneficio, laudare sufficit. Valde enima magnum est, quòd tam magnificus Dominus & rex omnium regum, nos pascere dignatur de donis suis, cui nihil dignũ retribuere possumus. Etiã pulchrè spõsa, cum dixisset. In cellaria, addidit Sua: vt nemo inde quicquã sibi arroget, sed de eius bonitate sibi porrigi necessaria confiteatur, atque cum propheta cantet Domino, dicens: *Propter nomen tuũ deduces me.* *9. enutries* *psalm. 30*
me. Ex hinc similiter admonere omnes voluit, ne de vlla proprietate adinuicem contenderent: vt neque iste inflatus dicat, Istud meum est; nec ille, Hoc meum est: talique iniqua proprietate vnus contra alium concupiscat, in perditione salutis suæ. Placuit ergo dicere Cellaria sua, vt audito, quòd omnia sint Dei, tollatur mox omnis proprietatis rei: fiantque per ipsius dispensationem nobis communia, & eius dignatione nostra, quæ verè duntaxat illius sunt propria. Sic ergo patet, quàm vt iliter & compatienter positum sit (*cellaria*), & non cellarium: quàm salubriter & gratanter adiectum (*sua*), quæ pariter omnia considerata, non modicam conferunt bono & fideli custodi diuinæ consolationis gratiam: eo quòd tantum inuenerit in Christi seruitio virtutis viam, nec non meritum plurimorum fertilitatem.